



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lv dovici || De Ponte Vallis-|| Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-|| libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

§. 1. Diuina ad omnes hos actus Vocatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39652**

adiuuat, quibus supplet pœnitentis defectus. extimulando illum ad veram contritionem; dirigendo ad Confessionis integritatem; & corrigendo, atque docendo, quid facere debeat; designans aliquam pœnitentiam faciendam; & absolvens à peccatis: ac in omnibus eum dirigens, quæ ad perfectam vitæ morumque reformationem sunt necessaria. Quod totum acceptare & implere meritò debet, qui perfectus est pœnitens. ad quam perfectionem trium dierum veluti itinere peruenitur. *Primo* à culpis expurgatur per contritionem & confessionem, accedente Sacerdotis absolutione: *Secundo* à pœnis debitis liberatur per ieiunia, elemosynas, orationes, aliaque pœnalia exercitia: ad quod iuuant indulgentiæ & Sacrificia: *Tertio* mores reformatur, vitæque noua instituitur, *aexuendo* vitia omnia, & *veterem hominem cum aëlibus suis; nouum* verò eiusque opera & virtutes induendo, donec perfectionem Christiani hominis propriam maxima qua poterit firmitate consequatur: quam in Sacramentis Baptismi & Confirmationis fuit professus.

§ I. *Diuina ad omnes hos actus Vocatio.*

**A**D prædictos omnes actus exhortatur diuina vocatio modis ac medijs in præcedentibus Tractatibus indicatis: quorum summa delineata est in ijs, quæ Israelitæ, cum captiui in Ægypto tenerentur, Pharaoni proposuerunt. a DEVS inquit *Hebraorum vocauit nos, vt eamuis viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius.* Quæ autem sunt hæc trium dierum viæ, quas Dei vocatio captiuus ob peccatum sub Dæmonis potestate proponit, nisi trium dierum itinera proximè insinuata: quæ instar viarum sunt, quas oportet peragere, vt ab ea captiuitate liberati, in libertate perfecta constituentur. si enim diuinæ vocationi resistentes, eas conficere neglexerint: superueniet eis pestis, aut gladius. *pestis* scilicet vitæ deprauatæ, quæ ab vna culpa in aliam sine remedio labitur; & *gladius* iræ Dei, qui vindictam de eorum pertinacia sumer: permittendo eos in sua culpa mori. Hæc trium dierum vitæ in die, & in deserto peraguntur. præcedit enim & comitatur pœnitentem diuina illustratio, eum deducens & adiuuans, & à peccati tenebris exeat: & quasi *lux* matutina *splendens procedat ac crescat usque ad perfectam sanctitatis diem.* quamuis ipsa via aspera ex se sit, & laboriosa: propter quod, *desertum* appellatur. non quod boni comites illi desint, qui consolentur & adiuuēt: sed quod improbos deferat, quos eousque habuerat.

PRIMA via est Pœnitentiæ: quatenus illa per dolorem & Confessionem peccatorum, causa est iustificationis peccatoris. quæ, teste S. Hieronymo, significatur per primam Hebræorum stationem in *c Ramasses*, quæ vox

turba

Confessio.

Satisfactio.  
a Coloss. 3.9  
Renouatio.

a Exod. 5.3.  
b cap. 3.18.

Pestis gladii.  
uu.

b Prou. 4.  
15.  
Tres dies  
Desertum.

I.  
Epist. de 42.  
mansioni.  
vide Riber.  
in Osea. 6.8  
c Exo. 22.37



in *uulnere commotionem*, aut *amaritudinem*, aut *gaudii tonitru* significat si enim ex *Aegypti* strepitu per poenitentiam exeas, quamuis prauam & profanam *turbationem* deseras; ingrederis tamen (vt ait *Dauid*) in aliam sanctam & salutarem, d *commouens ac turbans* teipsum: vt, tua peccata deflens, offeras Deo in hoc deserto e *Sacrificium* primum *contriti & humiliati cordis*, cum *spiritus amaritudine*, quæ mox in dulcedinem vertitur: cum audis tonitru illud *gaudii* ex *Confessarij* ore procedens. *Ego te absoluo*. & tunc implet Deus, quod aliàs dixit: *f in cunctis* *Deus Aegypti* faciam iudicia ego *Domini*. Nam vt *S. Hieronymus* declarat, qua nocte Deus *Hebræos* ab *Aegypti* liberauit, vindictâ sumpsit de omnibus idolis *Aegypti*: quæ destruxit, & eorum templa vastauit, quod factum significat iudicium, quod in Sacramento Poenitentiae de nostris peccatis facit. Diximus enim, Sacramentum hoc formam habere iudicij, in quo sententiâ iustâ damnatur, & deuastatur maledicta idola: vt verus Deus solus, nec ullus alius in anima uiuat, quæ eius est creatura; à qua semper adoretur, ipsique seruiatur

SE D non sinit hic diuina vocatio: nam mox inspirat viam *diei secunda* nempè Satisfactionem: vt fiat transitus, quemadmodum fecerunt *Hebræi* ex *g Ramasse* in *Socoth*, quod significat *peregrinantium tentoria*. Salus enim poenitentiae, breuis vt plurimum est; & aliquid super est soluendum atque sanandum. nec (vt supra fuit dictum) ad hoc sanat, vt otiosus subsistas: sed vt pergas omnino, ipsoque exercitio conualescas, offerens Deo secundum h *Sacrificium* *insitiae*, in abundantia bonorum operum, ad exoluenda omnia debira & peccatorum reliquias mortificandas. Eadem verò opera augende quoque sunt virtutes, ducendo in hoc mundo vitam, tanquam peregrini & proficiscentis; quærendo (vt ait *S. Bernardus*) præcipua tua stabilia bona, non in hoc terræ exilio, sed in caelo: quod est patria tua, pergèdo semper in via præceptorum, ac consiliorum diuinorum, donec ad illam peruenias.

AD quod diuina vocatio diei tertiæ viam inspirat; vt transeas quemadmodum *Hebræi* in *i Etham*, quod significat: *immaculatus*, seu *perfectus* ero. Præcipuus enim finis tuus in hac vita debet esse, quærendo summam, quâ poteris cordis mundiciem, & supremum Christianæ perfectionis gradû, cum integra totius vitæ reformatione: offerens Deo tuo *tertium Sacrificium* & holocaustum perfectissimi amoris, cuius superiùs meminimus. Et tunc ait *S. Hieronymus*, impleri Scripturam dicentem: *k Dominus* precedebat eos ad ostendendâ viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset in ieris viroque tempore. Idem enim *DEVS*, qui te vocat, vt ex *Dæmonis* tyrannide exeas; te quoque illustrat, accendit, deducit, auxiliumq; præbet in omnibus vijs tuis; & in omni tempore prospero & aduerso, ne aberres à via: sed eius ductum sequens, perfectus euadas;

Ramasses.

d *Psalm* 59.  
e *Psalm* 50.  
f *Exo.* 12. 1.

Ibid.

2.

Socoth.

g *Exo.* 12. 37

Traff. 2. 6.

1. §. 4.

h *Psalm* 4. 6Sacrificium  
secundum.  
Serm. 7. de  
Resurrect.

3.

i *Exo.* 13. 20.

Etham.

Tertium  
Sacrificium

Traff. 2. 6. 6

k *Exo.* 13. 21.

Num. 14. 14



I Osea 6.3.

L. p. q. 56. a. 3.  
 in Rō. 4. 25.  
 in cap. 6. 4.  
 in Psal. 50.  
 12.

Tres Spiritus.

a Iere 31. 18.  
 Pœnitentiã  
 dōna m. 1. i.

INCIPIT trium dierum via, de quibus Oseas Propheta: *I uisificabo uos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius.* Nam quemadmodum Christus Dominus noster, nostram redemptionem operatus est tribus diebus: feria scilicet sexta, in qua mortuus est; Sabbatho, in quo mansit in sepulchro, descenditque ad uinctos educendos ex limbo; & Dominica, qua gloriosus resurrexit: ita nobis eiusdem Redemptionis fructum applicat in hisce trium dierum uis. Nam *Confessione* peccata nostra extinguit; *Satisfactione* à purgatorij carcere eruit; *Emendatione* uero & reformatione eleuat nos ad uitam quandam nouam, ualdeque perfectam, similem resurrectioni ipsius, quam, ait S. Thomas, exemplar esse nostræ iustificationis. quod & Apostolus affirmavit, dicens: *in Christum Dominum nostrum traditum esse in mortem propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram; & n. quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus,* quæ ipsius uitæ ualdè assimiletur. Demissè itaque petas, ad has trium dierum uias concedi tibi insignes illos tres spiritus, quos feruens ille pœnitens petebat, dicens: *o Cor mundū crea in me Deus & SPIRITVM RECTVM inuoua in uisceribus meis. Ne proicias me à facie tua; & SPIRITVM S. tuum ne auferas à me. Redde mihi letitiam salutaris tui, & SPIRITVM PRINCIPALI confirma me.* Spiritus RECTVS animam ab omnibus culpis purgans, eam renouat; Spiritus SANCTVS dicitur, qui gratijs ac uirtutibus eam benedificans etiam adiuuat in Sanctorum operum exercitatione; PRINCIPALIS denique est, qui perfectionem & in eis firmitatem tribuit.

### §. 2. Prima uia Pœnitentiæ.

INCIPIENTES igitur uiam primam, quæ est Pœnitentiæ, dicemus in genere, quæ sint necessaria ad eam fructuosè ambulandam. Præsupponimus autem omnes eius actus ab infinita Dei misericordia, eiusque gratuita uocatione prouenire. Quemadmodum Ieremias nomine populi sui captiui factus est, dicens Deo D. N. *a castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus: conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiã & postquam ostendisti mihi, percussu femur meum confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Totum hoc attribuit Propheta Deo, ut intelligas, si tua peccata agnoscas; si passiones rebelles domes; si doleas ac de tuis peccatis erubescas; si teipsum propter ea castiges; si faciem tuam ad Dominum conuerteris, cui antea uerteras terga; id totum te facere, eò quòd ipse gratia sua te præueniat, uocet adiuuetque, ut ea exequi ualeas. Ut autem etiam diligentiam intelligas, quam ex tua parte ad hanc conuer-

tionem